

Monitio ad Lectorem.

HActenus de Compositione Contrapuncti simplicis, tam per consonantias purè perfectas, quàm per imperfectas immixtas imperfectis egimus brevissimè, ut præluderemus dicendis de ejusdem compositione arte Musurgicâ novâ. Agendum nunc foret de compositione Contrapuncti floridi, item multa alia de utroq; dicenda essent; ut, quâ ratione consonantia ac dissonantia sint artificiosè interserenda; quæ cautela in compositione adhibenda ad vitandos processus illicitos, consecutionemq; octavarum; quis usus sit consonantiarum imperfectarum; quis dissonantiarum usus, & quomodo collocanda, ut reddantur consona; de syncopsi seu syncopatione dissonantiarum; aliâq; multa: Sed quia paucis comprehendere non possunt, & quæ diximus, sufficiunt ad lumen dicendis præferendum, omittimus omnia. Qui volet, legat illa apud P. Kircherum in Musurgia Lib. 5.

CAPUT VIII.

De Melopœia seu compositione practica Contrapuncti simplicis per Bacillos musurgicos.

Melopœia
nova per
Bacillos mu-
surgicos.

IN parte 2. Magiæ Universalis Lib. 7. Syntagm. 2. modum præscripsi facilem ac simplicem, componendi Contrapunctum simplicem per Bacillos musurgicos, ut ibi appellavi. Addidi, modum illum excogitasse Auctorem Organi P. Athanasium Kircherum in adolescentia sua, in eoque tum se, tum alios exercuisse, & anno 1631, cum hinc Herbipoli Mathematicas disciplinas publicè in Scholis profiteretur, eundem modum me & alios docuisse. Bacillos habebat tunc reconditos in cistula quadam, varia in loculamenta discriminata; & cum anno eodem die Octobris undecimo, ob Sueciæ Regem Gustavum cum infesto exercitu urbi appropinquantem, hinc mecum discederet, cistulam in cubiculo suo reliquit; quam ego deinde rediens ex Italia intactam reperi, & adhuc penes me habeo. Hunc eundem modum nunc breviter repetam, quoniam, præterquam quòd facillimus sit, ingeniosus est, & dignus ab ipso Auctore judicatus, qui libro octavo Musurgiæ suæ insereretur.

§. I.